



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Jesu Sac. Theol. Professoris.  
Theologia Universa**

**Archdekin, Richard**

**Dilingae, 1687**

Cap. V. De Religione. Quæstiones præcipuæ circa Munia, & Beneficia  
Ecclesiastica, electionem dignioris, valorem collationis, beneficiorum  
acquisitionem, amissionem, permutationem &c.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38477**

## CAPUT V.

*De Beneficiis Ecclesiasticis, Desimis, Asylis, Immunitate, Privilegiis Fori & Canonis Personarum Ecclesiasticarum.*

## ARTICULUS I.

**Q**UESTIO I. An licitum sit, omisso dignioribus, ad Beneficia eligere, postulare, aut præferre personam dignam quidem, sed minus dignam?

Respondetur, Ad Beneficia habentia curam animarum id illicitum esse sub gravi delicto. *Dignior* autem dicitur, qui omnibus consideratis, speratur multo melius functurus isto officio pro quo instituitur electio.

Probatum hoc ex Concilio Tridentino Sess. 24. Cap. 1. de Reform. ubi declarat. *Omnes & singulos qui ad promotionem præficiendorum quomodocumque jus habent, mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesia magis utiles ipsi judicaverint: non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus; sed eorum exigentibus meritis præfici diligenter curaverint.* Quamvis autem loco citato Tridentinum agat de Episcopis, nihilominus idem tenendum esse de Patrociniis satis patet ex eadem Sessione Cap. 18. post medium, ubi tam habenti jus patronatus Ecclesiastici, quam Episcopis præcipitur, ex dignis præferre, & eligere digniorem, ut fufius ostendit Lessius de jure & Just. Lib. 2. Cap. 34. Dub. 14.

Hinc rectè ab Innocentio XI. Propos. 47. reprobatur sententia docens, *Tridentinum per digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum sumpto comparativo pro positivo, vel digniores, ut excludat indignos, non verò dignos, vel tandem loqui tertio, quando sit concursus.*

In cæteris Beneficiis non habentibus annexam curam animarum, ut in Canonicatibus, aut Capellis, sunt plures qui docent non videri peccatum mortiferum semel aut bis præmittere digniorem, modò conferatur verè digno, cum Soto, Halensi, Angelo, Gabriele in 4. d. 15. a. 9. quos sequuntur plures recentiores. Quia in hujusmodi beneficiis id semel iterum fieri, censent non cedere in detrimentum notabile Ecclesie, eò quod paucorum mediocritas aliorum virtute facile compensetur: Nec fieri propriè injuriam digniori, quia non est illi debitum stricto jure; sicut debetur præferato, vel electo. Hinc admittunt illi, quod si beneficium ex sua institutione habeat, ut debeat conferri digniori, vel per oppositionem, tunc semper esse peccatum mortale.

Quod si quis id sæpius faceret, aut rarò curaret ut digniores præferantur, in beneficiis etiam non curatis, censeretur graviter peccare. Quia graviter violaret fidelitatem Ecclesie debitam, ejusque bonum omitteret in re singularis momenti: sunt enim hæc beneficia ex fundatorum institutione non solum stipendia ministeriorum, sed etiam præmia virtutum.

Dices, Jura antiqua, atque etiam Tridentinum Sess. 7. Cap. 3. de Reform. tantum requirit ut beneficia dignis conferantur, citans etiam Constitutionem Alexandri III. & Gregorii X. qui idem statuunt, ut habeant etiam nonnulli Canonistæ.

Resp. Concilium, cæterosque, hoc solum requi-

tere, non ut collatio fiat absque gravi peccato, sed ut illa non sit irritanda in foro externo, quod colligitur ex eo quod Concilium postea subdat, *aliter facta collatio omnino irritetur.*

**Q**UESTIO II. An qui, prætermissis dignioribus, vel alteri minus digno procurat beneficium, teneatur ad aliquam restitutionem digniori faciendam, vel etiam Ecclesie?

Resp. Communiorem esse Doctorum sententiam, talem ad restitutionem non teneri, dummodo illi verè idoneus, & beneficium non fuerit per oppositionem conferendum. Ita docet Scotus, Richardus, Adrianus, Sotus, Covar. Navarrus cap. 17. num. 72. & plures alii, contra Paludanum, & Cajetanum, qui tamen addit, eum non teneri, qui sibi procurat non intendens impedire digniorem.

Ratio est, quia primò non tenetur digniori, quia ille non habet jus strictum ad illud beneficium, sed tantum jus aliquod largum, consistens solum in aliqua majori aptitudine, quod non fundat injuriam propriè dictam. Secundò, non tenetur Ecclesie, quia hæc non censetur intendere collatores, & paternos sub onere restitutionis obligare ad procurandam semper majus illius bonum, neque illi censent se talis onus subire, cum frequenti perplexitate, quæ inde oriretur: uti in simili ad restitutionem non obligatur æconomus Principis, qui operarios non optinios sed tantum idoneos conduxit.

Notandum denique circa valorem collationis beneficii, quod tradit Lessius de Just. Lib. 2. Cap. 24. Dub. 16. Omnis collatio seu institutio facta præter formam Tridentini Sess. 24. Cap. 18. &c. censetur irreperitiam & nulla; & collatio, si pertinebat ad Episcopum, devolvitur ad Sedem Apostolicam: ut hoc postremum statuit Pius V. in Bulla, quæ incipit, *in conferendis Ecclesiis*, edita anno 1567. Ubi insuper decernit: Si Episcopus minus habilem, postquam magis idoneis, post examen elegerit; possunt in eum rejecti sunt à mala electione hujusmodi ad Metropolitanum, vel si elector Metropolitanus aut exoptus fuerit, ad viciniorem Ordinarium, ut Apostolicæ Sedis Delegatum, vel aliàs ad Sedem Apostolicam appellare, & electum ad novum examen eoram appellationis Judice provocare, ut dignior datur. Interea tamen electio prior executioni mandanda est, & provisus non potest amoveri, nulli beneficii alteri debito modo collatum fuerit.

**Q**UESTIO III. Quenam conditiones ex jure requiruntur, ut aliquis ad Beneficium censetur idoneus?

Resp. Conditiones decem requiri. 1. Legitimitas: est enim illegitimus incapax Episcopatus, ac cujuscumque alterius beneficii habentis curam animarum, nisi per Pontificem cum eo dispensetur: est etiam incapax simplicis beneficii, sed in hoc plerumque potest Episcopus cum eo dispensare: ut habetur ex cap. 1. de filiis Presbyt. in 6. 2. Requiritur Clericatus vel ordo prævius, ex Cap. cum a deo. 17. de rescriptis. 3. Certa ætas ad singula beneficia necessaria: Ad Episcopatum 30. anni exacti, Ad alias Dignitates vel Personatus sine cura animarum, ut non sit minor 22. annis, quos requiri completos, indicatur ex Tridentino Sess. 24. Cap. 12. Ad beneficium Parochiale 25. anni inchoati: in qua ætate Episcopus non dispensat. Ad alia beneficia quæcum-

que requiruntur 14. anni saltem inchoati: Ita Trident. Sess. 23. Cap. 6. ut, *Nemo ante 14. annum beneficium possit obtinere.*

4. Requiritur Cœlibatus, sic ut omnis collatio beneficii facta junctis matrimonio sit irrita, nisi cum mutuo consensu debito modo separentur. 5. Condicio est, ut non sit irretitus aliquâ censurâ, vel irregularitate: aliâs non tantum collatio, sed etiam electio, presentatio, & postulatio in ejus favorem est irrita: quamvis probabile sit, illum qui est suspensus ab officio, vel beneficio, si in suspensione novum beneficium obtineat, non teneri sponte dimittere ante sententiam Judicis, ita censet *Lessius, Suarez*, aliique.

6. Morum probitas, ut scilicet non sit deditus gravibus peccatis, nec infamis: Collationem tamen factam criminoso non esse ipso jure irritam, sed irritandam, docet *Navarrus in Cap. si quando, Exceptis. 16.* 7. Scientia debita: talis autem scientia requiritur, quæ ad munus beneficio annexum ritè obeundum est necessaria, ita statuit Concilium Lateranense *Cap. Cum in curiis, de Elect.* 8. Habilitas ex parte Corporis, quæ nempe necessaria est ad officium decenter præstandum, *Trid. Sess. 22. Cap. 4.* Si tamen postea debilitas superveniat per quam reddatur ineptus ad officium, non ideo privari debet, sed si habeat curam animarum providere debet ut per vicarium administraretur. 9. Intentio status Ecclesiastici, quæ si sincera sit, non vitatur per propositum resiliendi, si causa aliqua iusta incidit, v. gr. si frater primogenitus moriatur, vel obtingat matrimonium inagnopere conducens ad conservandum decus familiæ.

10. Ut non habeat aliud beneficium incompatible: sic ut habens beneficium cum cura animarum, vel dignitatem, vel Personarum, vel Officium, si secundum hujus generis acceperit cum pacifica hujus possessione, penam vacare debeat. Eiusdem generis sunt Præbendæ uniformes sub eodem recto, ut sunt duo Canonicatus, vel duæ Sacellanæ ad eandem functionem concurrentes in eadem Ecclesia, ut patet ex *Cap. littera 9. de Consec. præbendæ.* Quædam sunt alia incompatible beneficia, quæ simul quidem licitè retineri non possunt absque dispensatione, non ita tamen ut altero obtento aliud vacare debeat: de quibus fusius *Lessius*, aliique. Et plura de impedimentis præsertim ex irregularitate colligi possunt infra de Sacram. Ordinis in fine.

QUÆSTIO IV. Quibus modis Beneficia jam possessa amittantur?

Resp. Quatuor potissimum modis amitti. 1. Per mortem Beneficiarii. Ratione verò diuturnæ absentie, non privatur ipso jure, sed requiritur sententia, quæ tamen ferri non potest nisi absente prius citato. Quod si negligatur ubi versetur, post edictum triæ citationis in Ecclesia ista publicatum, si ultra sex menses redire distulerit, poterit suo beneficio spoliari. Si verò sine tali citatione beneficium fuerit alteri collatum, revertenti non oberit collatio, ex *Cap. Tua de Cler. non residentibus.*

Secundus modus est, ex dispositione Juris: sive propter alterius beneficii impossibilis consecutionem, de quo in Quæstione præcedenti: sive per professionem Religiosam: sive per contractum matrimonii: sive ob commissionem Criminis cui ex jure amissio beneficii ipso facto annexa est, ut est Hæresis, Schi-

sma, Sodomia sæpius exercita. Tertius, per sententiam judicis. Quartus, per liberam resignationem. Adde, si quis per vim possessionem beneficii sit ingressus, *Cap. cum qui 18. de præbendis l. 6.*

Porro ut resignatio beneficii sit valida, præter alia, requiritur ut illa fiat in manibus ejus qui potest eam admittere: & ut resignatio ab eo actu admittatur, ut est Pontifex, vel Ordinarius collator, & fiat consensu Patroni, si sit juris patronatus. Si Resignans sit infirmus, requiritur ut supervivat ad 20. dies post factam resignationem: item ut capiatur possessio ante mortem resignantis: de quibus plura in *Articulo sequenti.*

QUÆSTIO V. Qualiter fieri possit Commutatio beneficiorum?

Resp. Illam fieri quando duo beneficiarii unum vel plura sua beneficia, Pontifici non reservata, resignant in manus Ordinarii, vel alterius Episcopi auctoritate ad hoc præditi, cum conditione ut ille postea vicissim alteri alterius beneficium conferat. Hoc aliquando exigente necessitate Episcopus instituere potest, sed vocatis illis quorum interest, ut Patrono, & Collatore in favorem. Talis autem permutatio ut valeat, debet esse libera, id est, fraude, aut metu non extorta. Requiritur etiam duæ postremæ conditiones supra de resignatione, ut supervivat ad 20. dies post factam commutationem, & ut ante mortem commutantis capta sit possessio, aliâs beneficium vacare censetur.

QUÆSTIO VI. An licitum sit permutare beneficia inæqualia, adhibita fructuum compensatione, sic ut beneficium copiosius, non separatis proventibus à titulo, cum tenui commutetur?

Resp. Talem compensationem per se non licere: potest tamen peti compensatio ob talem commutationem à Pontifice, propter incommodum temporale quod alter suscipit, spoliando se proventibus amplioribus sui beneficii. Quia talis compensatio non est pretium beneficii, aut proventuum annexorum, sed sola conditio quæ se indemnem conservet, sine qua nollit se beneficio spoliare cum suo detrimento.

## ARTICULUS II.

*An, & qualiter fieri possit Resignatio beneficii in gratiam tertii, & cum onere Pensionis?*

Respondeo ad Primum: Resignationem licitam Resse, & Simonie labe carere, modò pensio sit moderata, & legitima auctoritate constituatur: uti docet sententia communis: & patet ex *Cap. ad quæstiones de rerum permutatione.* Ratio est, quia uti potest Pontifex titulo alicujus beneficii plures fructus annectere, ita potest eidem titulo partem fructuum detrahere, & alteri jus ad illos fructus concedere; vel etiam ipsi titulo imponere onus certam portionem ex fructibus solvendi, idque ad vitam resignantis: & in hoc casu, ad quem transit beneficium, ad eundem solvendæ pensionis onus transibit.

QUÆRITUR II. Quinam possint Beneficio Pensionem imponere ratione simplicis resignationis?

Resp. Id posse Pontificem, cum illi competat plenaria beneficiorum dispositio. Idem posse Legatum à latere

de  
cin  
leo  
gia

latere docet *Rebuffus* §. de resign. conditional. num. 12. Huic tamen non est concessum ut admitat resignationes in favorem tertii, ut idem tradit supra. An idem possit Episcopus major questio est. Affirmant varii si subit causa iusta, v. gr. ad alimentum Parochi non valentis amplius servare: Ita *Felrus*, *Olaradus*, *Immola*, *Gigas*, plures citans hic *Quest. 6.* Negant tamen alii communius cum *Lessio Lib. 2. Cap. 35. Dubit. 15. num. 91.* Quia censent pensionum constitutionem per stylum curiae Romanae reservari summo Pontifici. Ac proinde Episcopum, sive Ordinarium, id non posse, nisi quatenus id illi specialiter privilegio, vel consuetudine concessum est. Stylus enim Curiae jus constituit, quod peculiariter locum habet in pensionibus, quarum ferè totum jus in consuetudine situm est.

Pensio autem, à quocumque constituatur, debet esse moderata, Ita ut beneficiario relinquatur quantum sufficit ad sustentationem, maxime si sit beneficium conjunctum cum cura animarum: consuetudo autem est, ut non excedat tertiam partem fructuum, ut habet *Cacialupus Tract. de pensionibus Quest. 7.* Possit tamen Pontifex constituere majorem.

Ad constituendam pensionem non est necessarius consensus Patroni, etsi beneficium sit juris patronatus laicorum, ut aliqui requirunt. Quia id nullo jure cavetur: & per impositionem pensionis nullum fit patrono praedictum, quia illius tantum est praesentare instituendum, quod ei per pensionem non adimitur. Aliud est in permutatione, & resignatione quae fit in favorem, in qua debet ordinariè ejus consensus intervenire: in literis tamen pensionis debet fieri mentio & derogatio patronatus si sit Laicorum, ut habet stylus Curiae, ut tradit *Gigas Quest. 24.* non tamen si sit Ecclesiasticorum: Pontifex enim beneficia Patronatus Laicorum quam Ecclesiasticorum difficilius onerat.

Denique pensio non est perpetua uti beneficium, sed morte pensionarii extinguitur, sicut ususfructus morte usufructuarii.

**QUAERITUR III.** Quomodo debeat procedere qui vult resignare in favorem tertii sub onere pensionis?

Resp. Posse illos inter se de hoc tractare, non tamen absolute concludere, sed tantum sub beneplacito Pontificis futuro: aliàs absolute concludendo simoniam admitterent. Quando autem coram Praelato habente potestatem comparent, debet beneficium in manus illius prius resignari, non cum pacto, sed cum deprecatione ut in illius tertii favorem cedat. Postquam verò pensio per legitimam auctoritatem imposita est, tunc jure debetur & exigitur.

**QUAERITUR IV.** An licitum sit resignare vel conferre beneficium in Confidentiam, ut vocant Jurista?

Resp. Si quis resignet, vel procuret alteri beneficium in confidentiam, id est, confidens ipsum aliquando beneficium illud v. gr. vel nepoti, vel amico suo resignaturum: modo nullam illi obligationem imponere intendat, non erit simonia: quamvis possint concurrere aliae circumstantiae quae rem reddant illicitam. Ita cum aliis docet *Navarrus Cap. 23. Num. 109. Vivaldus de Simonia Num. 28. Hugolinus Tabula 1. Cap. 22. Lessius Lib. 2. Cap. 35. Num. 16.* Quia nullum hic intercedit pactum, vel

aperta aut occultata conventio, vel intentio obligandi, quae Simoniam constituent. Quod si talis intentio obligandi adesset, incurteretur Simoniam mentalis, quae tamen poenas juris non habet annexas.

Si verò aliquis beneficium alteri procuret, sive fiat eligendo, praesentando, postulando, resignando in favorem, sive conferendo, instituendo, confirmando, aut commendando, cum pacto addito ut ille qui beneficium istud accipiet, illud idem sibi, vel alteri aliquando resignet, vel relinquat, vel pensionem ex eo, vel fructus aliquos alteri praebat, in hisculis illis actibus erit Simoniam externa confidentiam, quae poenas juris adjunctas habet. Constant haec ex Bulla *Pii IV. & praecipue Pii V.* quam refert hic *Navarrus Cap. 23. Num. 110.* in qua exprimuntur variis modis quibus in foro externo praesumi debeat Simoniam illam esse commissam. In foro autem conscientiae committitur duobus praecipue modis: si quis alteri procuret beneficium, ut illud sibi, vel alteri aliquando renunciaret: vel si procuret ut ex eo fructus vel pensio percipiatur.

**QUAERITUR V.** An Pensiones jam constitutae possint postea vendi, aut redimi?

Prima sit, Pensio quae datur Parocho seni non valet amplius deservire, ut se sustentet, beneficio ejus aliam collato. 2. Quae Clerico pauperi ad sustentationem conceditur. 3. Quae datur ad litem componendam. 4. Quae attribuitur resignanti in favorem alterius, vel beneficium suum cum altero vicissim commutanti.

Respondet *Toletus Lib. 3. Cap. 92. Lessius hoc Cap. 35. Dubit. 22. Cajetanus Tom. 1. Opusc. 31.* cum pluribus Canonistis in Clementin. unica §. *Eadem quoque* &c. Non esse Simoniam si ille qui aliquam ex his pensionibus debet, illam redimat praesenti pecunia, consentiente pensionario: additq; *Toletus* ad hoc quod non esse alia facultate. Ratio est, quia talem pensionem redimere, non est emere aliquod jus spirituale, sed extinguere aliquod onus temporale contractum, solvendi scilicet certam summam in pensionem annuam, per unam summam totalem semel praestitam.

Dum tamen aliquis primò resignat beneficium sub onere pensionis annuae, non potest sine Simonia hunc contractus, sive pactum ut pensio constituta redimatur. Quia onus inde resultans est pretio estimabile, uti notat *Toletus, Lessius, Cajetanus*, supra.

Aliquam etiam ex his pensionibus emere, aut vendere, non esse Simoniam, spectato jure antiquo, ut probabilis docet *Lessius supra* citans *Cajetanus, Cassius, &c.* Quia pensio v. gr. Parochi senis, non datur ad obeundum aliquod munus aut officium spirituale, sed tantum ad alimenta: ac proinde est merè temporalis, concessa titulo gratitudinis aut misericordiae à talium bonorum dispensatore legitimo.

Idem, ob eandem rationem, de reliquis ejusmodi pensionibus docet *Lessius supra* cum *Soro q. 7. art. 2.* quia ejusdem esse rationis quis videtur, vendi, & redimi.

De his tamen notat *Lessius*, ubi Bulla *Pii V.* de pensionibus est recepta, per illam, pensionem evadere in rem spirituales; quia peculiariter statuit, ut omnes pensionarii ratione pensionis teneantur recitare officium B. Virginis: qua ratione pensio reddatur quoddam beneficium. Sed addit, hanc Bullam plerisque locis non videri receptam: quia à plurimis ignoratur, vel etsi sciatur non est unquam in praxim deducta.

*dicta.* Sed et si Bulla illa Pii V. recepta alicubi non sit, tamen aliunde pensiones hujusmodi vendi non possunt abique Pontificis facultate: quia id stylo Curiae est prohibitum, quamvis redimi permittantur, ut testatur *Toletus Lib. 5. Cap. 92.*

ARTICULUS III.

De Ecclesiasticorum Immunitate à vectigalibus, &c.

**D**icendum primò, Ecclesias, & personas Ecclesiasticas, & res illarum à vectigalibus solvendis exemptas esse. Patet 1. ex Jure Canonico *Cap. Quamquam de censibus in 6. ubi, Bonifacius VIII. etiam Excommunicat privatas ipso facto, que ralia ab Ecclesiasticis exigunt, & communitates subicit interdito, à quibus panis non possint absolvi nisi facta restitutione.* Ibidemque contrariam consuetudinem declarat esse corruptelam. Unde etiam patet, hoc jus contra Ecclesiasticos usurpaci non posse. Idem quoque prius statutum fuit in Concilio magno *Lateranensi* sub Innocentio III. Horum singula, & bona exempta distinctus exprimuntur in *Bulla Cœna Domini*, ubi, Excommunicantur omnes qui absque speciali expressa summi Pontificis licentia imponunt collectas, decimas, tallas, presantias, aut alia onera personis Ecclesiasticis, aut eorum bonis, sive Ecclesiarum aut Monasteriorum ipsorum: aut imposta exigunt, aut à sponte dantibus recipiunt, aut his actibus quoquo modo cooperantur. Quod hic dicitur de *sponte dantibus*, intelligitur, quando exactor recipit ab eo qui ideo sponte dat, quia Ecclesiasticis sunt imposita, vel qui dat antequam exigantur, uti hic notat *Lessius*.

Patet etiam 2. ex *Jure Civili*, in Novella *Fridetici Imperatoris*, quæ incipit, *Item nulla*, de Episcopis & Clericis *Nulla*, inquit, *communitas, vel persona publica, vel privata, collectas, exactiones, angarias, vel per angarias Ecclesiarum, vel alius piis locis, aut Ecclesiasticis personis imponere presumat.* &c. Item in *Leg. Sacerdotum 2. Cod. de sacrosanctis Ecclesiis*, immunitas ista omnibus piis locis conceditur.

Hæc Ecclesiasticorum exemptio à multis dicitur esse certâ ratione juris divini. Primò, propter dignitatem status, quo rebus divinis mancipantur & consecrantur: ac proinde contra reverentiam Deo debitam foret, quod Deo consecratum est, more profano tractari. Secundò, quia sunt Patres, & Judices secularium à Deo constituti: in rebus maximis, quæ salutem æternam concernunt. Tertio, quia Principibus & populis per sacramenta, & doctrinam salutiferam maxima beneficia rependunt. Quin & in antiquo Testamento *Genesis 47.* Joseph in Ægypto cum rotam terram in quintam partem fructuum fecisset Regi tributariam, excepit terram Sacerdotum, quibus & ex publico cibaria concessa. In novo Testamento cum ab initio Ecclesiastici essent sub dominatu infidelium, sub Constantino Imperatore, & Justiniano, & aliis deinceps cepit maximè, lege latâ, ista immunitas in praxim deduci.

Illam immunitatem à successoribus non posse revocari, tradit cum aliis pluribus *Lessius Cap. 33. Dub. 5.*

**Dicendum II.** Bona etiam patrimonialia, & alia secularia, quæ ad Ecclesiasticos, Ecclesias, aut Monasteria deveniunt, sunt à Novis tributis imponendis

R. P. Arjdek. Tom. II.

immunia. Ita Doctores communiter, *Sylvester, Ver-*  
*Immunitas, Lessius supra*, aliique. Patet ex *Constit. Bonifacii supra citata*, ubi dicitur, non tantum personas Ecclesiasticas, sed etiam, *res earum exemptas esse.*

Dixi autem, à *novis* tributis: quia si antequam bona ad tales Personas, Ecclesias, vel Monasteria devenirent, annexum habebant onus aliquod, certum & invariabile, v.g. censum, vel servitutem Principi debitam, hoc etiam onus ab illis præstandum est: quia res quælibet cum suo onere transit: uti constat ex *Cap. Cum non sit: & Cap. Pastoralis, de decimis.*

**Dicendum III.** In certis casibus Ecclesiasticos à prædictis tributis &c. non esse exemptos. Primò, si negotiationem exercent: nam ex eo quod isto intuitu emunt, vendunt, aut deferunt, vectigalia licitè exiguntur, uti patet ex *Cap. Quamquam* hic ab initio citato: quod Ecclesia concessit in odium negotiationis per Clericos, quos ea dedecet, iisque prohibetur. 2. Si bona illa habebant prius onus aliquod invariabile, quod supra excepimus. 3. Si contributio quædam facienda sit æque primario in utilitatem tam Clericorum, quam Laicorum v.g. reparatio aggeris ne flumen utrorumque agros inundet. 4. Quando contingeret facultates Laicorum non sufficere ad succurrendum publicæ necessitati, posset etiam contributio aliqua Ecclesiasticis imponi, sed accedente Pontificis consensu, præsertim post *Bullam Cœna*, quem consensum etiam requirit *Innocentius III.* in *Concl. Lateranensi, Cap. Adversus, de Immun. Eccles.* Si esset periculum in mora, sufficere consensum Episcoporum Clero pro gravandis sibi subjectis, notat *Sylvester supra.*

Pro reparatione viarum publicarum, pontium, murorum urbis, & similibus, quæ principatim spectant ad communitatem, Clerici contribuere non tenentur, ut docent communiter Canonistæ: quamvis non desint aliqui Doctores præsertim juris Civili qui in his contrarium sustineant.

**Dicendum IV.** Gaudent exemptione prædictâ à tributis, omnes Clerici in sacris ordinibus, & Beneficiarij, & Religiosi, ac Religiosæ. Et saltem ex jure antiquo, Clerici etiam Minorum ordinum, & primæ tonsuræ, si non sint conjugati; uti colligitur ex *Cap. Quamquam*, supra: & ex *Cap. Finali*, de vita & Honest. Clericorum &c. Sed ex consuetudine contraria, & diuturna, Clerici primæ tonsuræ, & minorum ordinum videntur hanc exemptionem amisisse, quando nec beneficium habent, nec ulli Ecclesie deserviunt. Contra hos ut valeat illa consuetudo sive præscriptio, consensus Pontificis ob justas causas datus præsumi debet.

Clerici illi conjugati neque jure Canonico, neque consuetudine sunt exempti à vectigalibus. Quia tantum illis conceditur Privilegium fori, & Canonis: & hæc duo non conceduntur nisi in casu quo duxerint virginem, eamque unicam, & defertant tonsuram, & vestes clericales: quibus addit Tridentinum, *ut privilegio fori non gaudeant, nisi ab Episcopo alicujus Ecclesie ministerio sint deputati.* Alias Clericorum immunitates vide infra *Part. III. de Sacramento Ordinis.*

de  
cin  
  
leo  
gia

## ARTICULUS IV.

## De Decimis Ecclesiasticorum.

**D**ICENDUM primo: Certum esse Decimas certarum rerum in Ecclesia determinatarum Ecclesiasticis Jure, & ex iustitia deberi. Contra *Wicelsum* asserentem Decimas non esse ullo jure Sacerdotibus debitas, sed esse meras elemosynas, qui in *Conc. Constantiensi* damnatus est, etiam in hoc errore *Sess. 18.* Ratione etiam probatur, quia jure divino, & naturali ministrantibus populo spiritualia sustentatio debetur. Decimas autem tales tam in antiquo, quam in novo Testamento Sacerdotibus attribui debere, passim ex Scripturis patet.

Quaestio est, An decimae jure etiam divino debeantur? Affirmant passim Canonistae. Negat verò melius communis consensus Theologorum, qui docent illas nunc deberi tantum jure Ecclesiastico, sed antiquissimo jam inde à temporibus Apostolorum, uti patet ex *Constit. Clementis Lib. 7. Cap. 29. 38. &c.* Ita *D. Thomas Quaes. 87. art. 1. Hallensis, Henricus, Antoninus, Sotus, Navarrus, Lessius Lib. 2. Cap. 39. Dub. 1.*

Hinc patet Parochis decimas ex iustitia deberi, & per actionem ex Canone posse eas à quovis earum possessore expetere; & contra fructuum non decimatum destructorem actionem instituire.

**DICENDUM II.** Personae omnes, & solae, quae in spiritualibus subditae ex manu Sacerdotis Sacramentum suscipere debent, ad Decimas persolvendas personali debito obligantur. Quia Decimae praebentur tamquam stipendium pro isto ministerio, & cura quae fidelibus exhibetur. Si quando Judaei, aut alii non fideles ad Decimas adiguntur, id non fit ratione personae, sed ratione praediorum quae inter fideles possident.

Episcopi, & Parochi non solent per se obligari ad Decimas: quia nullà consuetudine id constitutum ostenditur: quamvis à Pontifice ad hoc adigi possint.

Clerici tamen seculares non Curati debent ex propriis novalibus, non tantum ratione terrae, sed etiam personae, Parochis suis decimas persolvere: non tamen ex Ecclesiasticis redditibus si quos habeant, quos Ecclesia vult illis integros relinqui.

Ad Decimas praediales, tenentur etiam Monasteria, & pia loca, nisi vel Privilegio, vel praescriptione, vel compositione, vel transactione exempta sint. Patet ex *Cap. Nuper. de Decimis*, & alibi. Quod verò Privilegio possint eximi patet ex *Cap. Ex parte*, ubi dicitur, *Romanos Pontifices ante Innocentium III. fere omnibus Religiosis decimas laborum suorum concessisse*: nempe ut non solverent decimas praediorum quae ab ipsis colebantur. Postea etiam quibusdam Ordinibus concessum est, ut de nullis praediis aut aliis bonis ab ipsis possessis teneantur ullam decimam etiam Papalem persolvere.

De his in particulari, uti & gabellis, subsidiis &c. si opus fuerit, videri potest *Bulla Pauli III. pag. 45. Pii IV. pag. 90. Gregorii XIII. pag. 181. pro S. I. ubi in hoc derogat dispositioni Cap. Nuper. de Decimis. Item Eugenii IV. pro Monialibus Sallarae, in Monum. Minorum fol. 40. pag. 2. Et ejusdem Eugenii pro Dominicanis, de quo in Supplem. Min. fol. 80. Item Cle-*

mentis VII. pro Ordine S. Joannis Hierosolymitani Et alia pro Congregatione Canonicorum S. Salvatorum in Manuscript. fol. 63. Haec & alia in hoc generalibus quorum interest sunt satis nota. Qui tantum coloni sunt agrorum Religiosorum solent nunc ad Decimas obligari. Non item teneri Religiosos ex novalibus, id est, praediis de novo cultis & antea non colebantur, cum ea modicum fructum ferant, sic à Laymanno notatur.

**DICENDUM III.** Decimae praediales solvenda sunt illi Ecclesiae Parochiali intra cujus limites praedia constituta sunt. Quia cum necesse fuerit saepe Parochias dividere crescente numero fidelium, oportet etiam singulis terminos suos eo modo designare vitaretur confusio, & Parochi, ejusque cooperatoribus sustentatio provideretur.

At quando fideles in una Parochia Sacramenta percipiunt, in alia autem ejusdem diocesis praedia habent constituta, non est jure communi determinatum utri Parochiarum Decimae praediales debeantur; sed in hoc retinenda cujusque loci consuetudo.

Decimae quae sunt mixtae ex fructibus, & fructibus pecorum, debentur illi Parochiae intra cujus limites pecora pascentur, nisi consuetudo aliud obno-

scat. Spectato jure communi, quarta pars Decimarum Episcopo debetur, uti olim Decimae Levitarum à Sacerdotibus iterum decimabantur *Numer. 18.* Sed hoc multis locis jam non obtinet, eo quod ipsius titulis satis provideatur.

Sed quandoque etiam hodie integræ Decimae Episcopo debentur: si nempe ipsi sint Curati suae Ecclesiae Cathedralis, vel Parochialis, saltem per Vicarium. Vel si praedia intra Episcopi diocesim nulli sunt Parochiae attributa. Parochus non potest sanctam Decimas solvere, Ecclesia prohibet, cum non habeat jurisdictionem forensis; sed deferendus est ad Ordinarium, à quo post trinam Canonice mentionem excommunicandus est, juxta *Cap. Omnes de Cap.*

**DICENDUM IV.** Jus Decimarum ab Ecclesiasticis personis acquiri potest per transactionem, interveniente Episcopi auctoritate. Potest etiam eodem jus Decimarum unius Ecclesiae permutari cum jure aliarum Ecclesiarum.

At jus illud quatenus in spirituali titulo sive officio fundatum nequit vendi, aut permutari cum re temporalis, absque labe Simoniae: Unde etiam patet illud quod tale Laicis nullo titulo, ne donatione quidem, potest competere.

Verum utilitas sola Decimarum, quae est ad fructus percipiendos, spectata rei natura, posset aliquando Laicis vendi, concedi, aut locari. Quia tamen sub hac consideratione jus ad illos redditus est tantum temporale, adeoque non datur nisi temporale pro temporali. Hinc Pontifex, ut supremus talium administrator, potest ex causa justa ad Ecclesiam bonum pertinentem Laicis v. g. Principibus, redditus aliquorum Decimarum in perpetuum concedere, sive pro remuneratione beneficiorum, sive pro onere donationis alicujus Ecclesiae: sicut ab eo Ferdinandus Rex Hispaniae, & Elisabetha, Regni Granatensis Decimas acceperunt.

Post *Conc. Lateranense* Episcopi Decimas personis Laicis in feudum perpetuum dare non poterunt, quia

quia contrarium illi irritum, vel irritandum redditur. Sed nihil obstat quin Episcopus Laico Decimas ad tempus aliquod concedere ob causam justam, & debitam cum solennitate. Quia hoc quod jure antiquo erat licitum, nullo postea jure est revocatum, sed tantum concessio in feudum perpetuum.

**DICENDUM V.** Præscribitur jus Decimarum contra proprium Parochum ab Ecclesiasticis personis cum titulo, annis quadraginta: sine titulo tantum præscribitur tempore immemoriali. Primum patet ex *Cap. Ad auver. de prescript.* Secundum exprimitur in *Cap. 1. de prescript. in 6.*

Si Parochus præscripsit legitimo tempore jus percipiendi Decimas ex aliena Parochia, non ideo censetur obtinuisse jus percipiendi Decimas ex novalibus. Quia illi fructus nondum existebant: non plus autem præscribitur, quam possidetur. Laici per præscriptionem Decimas acquirere nequeunt, nisi illa sit fundata in præsumptione alicujus legitime concessionis factæ ab Episcopo, aut Prælato habente concedendi potestatem.

Ut ratione præscriptionis immunitas à solvendis Decimis probetur sive à Laicis, sive à Clericis, requiruntur quadraginta anni possessionis pacificæ, cum titulo, & bona fide: sine titulo autem requiritur tempus immemoriale, & ut aliunde Ecclesiæ, & Ministris suppetat congrua sustentatio: nam in his jus commune Parochiæ magis, quam possessori asistit.

## ARTICULUS V.

*De Ecclesiarum Immunitate, Asylo, Privilegio Forti, Canonis, &c.*

**E**cclésiæ Immunitas, sive Asylum, ratione cujus Rei ad Ecclesiam confugientes extrahi non possunt, legibus tam Canonicis quam Civilibus constituta est, ut in *Conc. Arausicano 1. Can. 5.* statuitur, *Eos qui ad Ecclesiam confugiunt tradi non oportere, sed loci sancti reverentiam, & intercessione defendi.* Et hoc secundum legis naturalis congruam æquitatem, non absolute, sed supposita loci sanctitate, id exigentem.

Gaudent hac immunitate non tantum Temples, & Sacella ad publicum sacrificii usum deputata, sed etiam alia loca religiosa, ut Hospitale Episcopi auctoritate fundatum, & Monasteria, & ipsum Episcopi palatium. De Sacellis privatis in quibus data est licentia Missam celebrandi id negat *Layman* cum quibusdam aliis.

Locum etiam habet in Ecclesia in qua nondum divina officia celebrari cœperunt etiam in interdita, aut polluta: item in Ecclesiarum Cœmeteriis, in sacristia, in porticu, in turri, in tecto &c. Nec refert quod in illis locis Ecclesia non polluitur; quia immunitas est favorabilis, violatio odiosa adeoque magis restringenda.

Quoad *Crimina* à confugiente ad Ecclesiam commissa, extenditur hæc immunitas ad omnia quantumvis gravia, præter quædam ipsius Ecclesiæ constitutione excepta, quæ infra exponam.

Præter alias de Ecclesiæ Immunitate Canonicas sanctiones, inter postremas emanavit Constitutio Bullæ *Gregorii XIV.* data Romæ in Quirinali Kalendis Julii anno 1591. quæ incipit, *Cum alias nonnulli.* In hac re-  
R. P. Arfdek. Tom. II.

vocantur Privilegia quibusvis personis concessa extrahendi Reos ab Ecclesiis in casibus antea permixtis, & omnia in hanc formam cum antiquis juribus reducuntur, *Quatenus impoſterum nemo ex Magistratibus Laicis Rem de Ecclesia aut loco ſacro absque Episcopi Licentia extrahere præſumat, ſub poena excommunicationis lata in Bulla Cæna contra violatores Ecclesiastica Immunitatis.* Reos verò omnes hac immunitate gaudere declarat, præter eos qui illic peculiariter excipiuntur. Et quamvis aliqui dicant dictam Constitutionem non fuisse ubique usu receptam, ut in regno Hispaniæ apud *Dianam*, aut contrariâ consuetudine fuisse abrogatam: hoc tamen ultimum cum aliis negat *Diana*, tum ob alia quæ adducit, tum quia nulla talis consuetudo introducta est sciente summo Pontifice, qui reclamavit quotannis in promulgatione Bullæ Cæna, & novissime in Bulla *Romanus Pontifex*, data Romæ 5. Januarii anno 1641. Nec in hoc obesse potest consensus aliquis Clericorum, aut Episcoporum, quia non possunt isti privilegio renunciare, aut consuetudini contra Canones consentire, de quo fuit *Diana Part. 6. Tract. 1. Resol. 29.*

Casus autem excepti in Bulla *Gregorii XIV.* in quibus Reus Immunitate non gaudet, sunt sequentes, qui sunt strictè interpretandi, nec extendendi ad paritatem rationis, quia hæc exceptio ab Immunitate debet inter odiosas reputari.

**Primo** igitur excipitur *Hæresis*, formaliter sumpta pro delicto hæreticos; nam pro aliis delictis potest etiam hæreticus hac Asyli Immunitate gaudere.

**Secundo**, *Homicidium*, aut *maulatio* commissa in Ecclesia, aut cœmeterio, quæ scilicet sit deliberata, nec mera defensio. Quod non extenditur ad furantes in Ecclesia etiam res sacras, vel in eam cum furto, aut armis se recipientes, aut in ea sodomiam aut aliud enorme crimen committentes à prædictis diversum. Quamvis in aliquo tali crimine à Pontifice impetrari possit, ut propter enormitatem Reus curiæ seculari tradatur.

**Tertio**, *Homicidium proditorium*: scilicet consummatum, per effectum mortis secutum. Nec extenditur ad homicidium factum per solas insidias: sed debet accedere simulata amicitia, non præcedente rancore, ex quo debuisset alius præcavere.

**Quarto**, *Assassinium*, hoc est, quando quis aliquem conducit ad alium occidendum, aut mercede conductus alium actum occidit. Quod plerique intelligunt tantum de occisione hominis Christiani, non autem infidelis, cum Bulla utatur voce, *occisionis proximi.*

**Quinto**, *Crimen læsæ majestatis* in personam Principis: quod intelligitur de illis, qui superiorem in temporalibus non agnoscunt. Quod & de Cardinalibus qui cum summo Pontifice faciunt quasi unum corpus; suntque Principes Ecclesiæ intelligit *Peregrinus Cap. 11. Num. 1.* Unde cum aliis notat *Diana* per hoc ab Immunitate non excludi reos læsæ majestatis, quia cudunt falsam monetam, vel qui fraudant vestigalia, vel qui se Regem fingit, vel qui conjurat de tradenda civitate. Quia in his offenditur quidem dignitas Regis, aut Principis, sed non persona, de qua disertè Bulla agit; idque respectu illius qui est vassallus ratione originis, aut domicilii, ut notat *Diana.*

**Sexto**, excipiuntur, *Latrones publici, & grassatores viarum.*

de  
cinleo  
gia

*viarum.* Intellige *publicarum*, & grassationem sepius iteratam, nam qui semel iterumque depradatus est, latro publicus non censetur, uti ab una alterave vice meretrix non dicitur publica.

*Septimo, Agrorum depopulatores.* Intelligenda est illa depopulatio tam de diurna, quam de nocturna: quamvis enim in jure communi excepta fuisset *nocturna*, Bulla tamen Gregorii illam limitationem non apponit, nec se refert ad jus commune, sed potius illud corrigit, ut notat hic *Palaeus*, ac *Diana*. Et licet Incendiarii sint populatoribus similes, non sunt per hunc locum ab Immunitate illa exclusi, uti cum variis docet idem *Castro Palaeus* hic *Punct. 10. num. 9.*

In dubiis, an in casu particulari Reus gaudeat Immunitate, ad Episcopum pertinet decidere, aut ad Vicarium Capituli Sede vacante. Neque dum causa discutitur debet Reus in Ecclesia compedibus ligari, cum *Cap. definit. 17. Quast. 4.* caveatur, ne Reus aliqua vis, aut nocibilitas, damnumve inferatur quin per 30. passus ab Ecclesia possint exire. Possit tamen a ministris Laicis adhiberi vigilias circa Ecclesiam ne Reus elabatur, docet hic *Castro-palaeus, punct. 11. num. 6.*

In delictis supra exceptis, in quibus Reus non gaudet Immunitate, non potest ille extrahi ab Ecclesia per Judicem Laicum, sed debet accedere licentia Episcopi, non tantum post praedictam Constitutionem Gregorii, sed etiam antea ex jure Canonico in *cap. frater*, & in *Cap. definit. 17. Quast. 4.* quamvis Episcopus in delictis istis, satis compertis, non possit extrahendi licentiam denegare.

Rursum quoad Episcopum, & judicem Ecclesiasticum, non potest reus in Ecclesiam confugiens ab illo Curiae Laicali concedi, nisi per probationes in sua Curia evidenter constet, reum immunitate illa non gaudere. Dum reus in Ecclesia remanet, si aliunde vivere non possit, debet ab Episcopo sive judice Ecclesiastico sustentari. Ita Doctores apud *Farinacium Cap. 19. n. 296.* & *Dianam Part. 6. Tract. 1. Resol. 33.*

*Quaeres 1.* An Ecclesiae suae Immunitate gaudeant ipsi Clerici, sic ut ab Episcopo inde extrahi inviti non possint?

*Resp. Affirmative*, quamvis id neget *Abbas* in *Cap. inter alia de immunit. num. 13.* Sed contrarium pro Clericis declaravit sacra Congregatio die 23. Januarii 1617. & die 17. Augusti 1618. apud *Dianam*, exceptis casibus degradatione dignis. Additque idem, Sacerdotem delicti Reum, si coram & stola indutus, etiam extra Ecclesiam, praecedente Cruce v. g. funus comitetur, vel etiam sacrum Vjaticum, aut extremam Unctionem ad infirmum deferat, non posse a satellitibus capi: & si sic caperetur, non debere Episcopo interroganti de delicto respondere, sed posse capturae suae nullitatem opponere.

*Quaeres 2.* Quid in hoc dicendum de Regularibus? *Resp.* Si delicta commissa sint extra Ecclesiam, & conventum, illos gaudere Immunitate, a paritate resolutionis pro Clericis allatae. Hinc Religiosus Apostata in Ecclesia & domo Religionis diversae ab eam qua apostatavit, potest Immunitatem sortiri. Nec defunt, qui putant idem dicendum de Ecclesiis, & Monasteriis in quibus Religiosus deliquit, eo quod hic casus in sacris Canonibus non excipiat. Sed rectius cum aliis *Diana*, haec opinio, inquit, licet in rigore juris probabilis, habet contra se contrarium praxim a summis Pontificibus appro-

batam: Et si admitenda esset, punitio & disciplina regularis corrueret.

## NOTA.

**H**abent insuper Clerici Privilegium Fori, & Canonis, quod scilicet non possint capi, aut puniri nisi a Judice Ecclesiastico: & quod non subsint legibus Civilibus saltem quoad vim coactivam, sed tantum directivam. De his, & de *Functionibus* diversis quae Clericis prohibentur: & de *irregularitatibus* singulis quas Clerici incurrun, agitur infra in *Sacramento Ordinis Tract. 4. Cap. 7. §. 2. & 3.*

De Spectantibus ad *Simoniam* in officiis, & beneficiis Ecclesiasticis, infra *Tract. 5. Cap. 12.*

De *Sacrificio Missae* ejusque celebratione, pretio, stipendio, &c. infra *Tract. 4. cap. 4. §. 5. 6.*

De *Officio Canonico*, ejusque modo, ac obligatione varia, *Ibidem Cap. 4. in fine.*

De ceteris Sacerdotis *Functionibus*, earumque *Praxi* omnimoda, in administrando, & assistendo, cum aegris, & moribundis, cum *Materia*, & *Methodo* copiosa tradendi *Doctrinam sacram*, &c. in hoc Opere suis locis & titulis, & infra in *Tom. III.* specialiter traduntur.

## CAPUT VI.

DE REGULARIBUS  
RESOLUTIONES SINGULARES  
AD PRAXIM MAXIME  
PERTINENTES.

**M**ateria haec quam suscepi admodum ampla est. De ea scriperunt integri Tomis *Suarez* de Religione, *Castro-palaeus*, *Pellizarius*, *Peyrinus*, *Portel*, *Andriquez*, *Bordonus*, aliique. Nos hic quaestiones selectiores atque utiliores fusius, alias brevius complectemur, quod Lector ut arbitror non parum sibi commodum atque utile experietur.

## ARTICULUS I.

De Novitiatu Regularium.

**Q**UAESTIO est, primo: Quid requiratur ut novitatus sit legitimus?

*Resp.* Requiritur. Ut exercentur illi in aetate legitima. 2. In loco ad illum debito. 3. In Habitu religionis. 4. Cum debita certi temporis continuatione.

*II. Aetas* autem requisita est, ut habeat quatuordecim annos expletos: in foemina sufficiunt anni duodecim: & hi anni in utrisque debent esse completi de momento in momentum, ut jura loquuntur: nec malitia, sive maturitas rationis, supplet aetatem. Patent haec ea *Clement. ult. de Regularibus*, cum *Glossa V.* aetate. Et ita docet *Sanchez Lib. 5. in Decal. Cap. 4. n. 22.* cum *Paludano*, *Sylvestro*, *Tabiena*, *Angelo*, *Azor*, *Lopes*, aliisque. Licet tamen est ante illam aetatem recipere ad probationem vitae Religiosae, sed non potest dici inchoare Novitatum nisi expletis praedictis annis pubertatis, uti pluribus ostendit *Sanchez* supra citatus.

Et quidem in Soc. Jesu quandoquidem ad Novitatum nemo admitti possit qui sit minor 15. aut major 30. annis, & in hoc, solus *Generalis* dispensat.